

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*30*

1412, febbraio, 1, Ind. V, Matera

† In nomine Domini amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quatricentesimo duodecimo. Regnante inclito et serenissimo domino nostro domino Ladislao, Dei gratia Ungarie, Ierusalem et Sicilie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Comanie Bulgarieque rege, Provincie et Forqualquerii ac Pedimontis comite, regnorum vero eius anno vicesimo quinto. Feliciter. Amen. Mense februarii, die primo eiusdem quinte indictionis, Matere.

Nos Andreucius Roncellus, annalis Matere iudex, Antonius Angeli de Constancia, de eadem terra, puplicus ubique per totum regnum Sicilie regia auctoritate notarius, dompnus Antonius de Paulo, iaconus Donatus Petri Cepulle, Iacobus Magnaresius et Iohannes de Turcho, de Matera, testes subscripti, subsignati literati et inliterati de eadem terra ad hoc specialiter vocati et rogati presenti scripto puplico fatemur, notum facimus et testamur quod presenti die nobis personaliter accersitis ad domum habitationis dominarum abbadisse et priorisse ecclesie Sancte Lucie de Matera, sitam in dicta terra Matere, in Saxo Cavioso, in loco de Planellis, suptus murum civitatis Matere, ad petitionem et preces suscetas nobis pro parte domine Rose venerabilis abbadixe dicti monasterii Sancte Lucie et Agathes de Matera et dicte Mabilie, priorisse eiusdem loci et aliarum dominarum monacharum monasterii prelibati, nobis ibidem presentibus dicte domina abbadixa et priorissa cum earum sororibus subscriptis presentaverunt, ostenderunt ac puplice legi fecerunt quoddam puplicum instrumentum continens inter alias specialiter qualiter quod domina Mathia Baronissa filia quondam domini Roberti de Partinico, spirito Dei ducta

monachalem recipiens habitum obtulit se et Castellum Novum cum omnibus finibus et pertinentis suis pertinens sibi, iure perpetuo monasterio ecclesie sancte Agathes de Mathera in manibus domine Eugenie monache eiusdem monasterii recipientis, asserentes quod ipsum instrumentum originale conservari debet in eadem ecclesia ne ipsum aliquo transportando casu fortuito quomodolibet admictentur in preiudicium monasterii memorati, in predictum monasterium memoratum quod instrumentum vidimus et diligenter inspeximus et erat per omnia, preter cruces et signa, tenoris et continentie subsequentis:

cf. n. 2

Quod instrumentum subtestatum et subscriptionibus munitum erat hoc modo: Donnandus, Matere iudex, Riccardus filius sire Bisantii cappellani. Ego Petrus Radicza qui supra, signum proprie manus siri Iohannis Fatticii qui supra, signum manus proprie Iaspidi qui supra. Petentibus itaque a nobis qui supra iudice, notario et testibus dictis dominabus abbatissa et priorissa cum aliis earum dominabus sororibus suis monialibus superius numeratis nostrum super hoc officium implorando ut dictum instrumentum quia sui et successarum suarum dominarum monialium in eisdem officiis interesse dicebant ad earum et dictarum dominarum sororum suarum dicti monasterii et ecclesie cautelam autenticare, transcribere et in puplicam formam redigere deberemus.

Nos vero petitionem ipsarum iustam ut pote annuentes, maxime quia iusta petentibus nec possumus nec debemus nostrum officium, quod est puplicum, alicui denegare

predictum instrumentum ad earum petitionem et tenore ipsius addito, tracto vel diminuto autenticavimus et transcripsimus eo quod ipsum legendo inspeximus non abrasum, non cancellatum, omni vitio et suspitione carens et in presens publicum redigimus instrumentum per manus mei Antonii publici ut supra notarii, qui predictis vocatus et rogatus interfui ipsumque meo solito signo signavi; subscriptione mei qui supra iudicis et nostrum subscriptorum et subsignatorum testium qui predictis similiter vocati et rogati interfuimus, subscriptionibus et subsignationibus roboratum.

† Andreucius Roncelli annalis qui supra Matere iudex

† Ego dompno Antonius de Paulo testor qui supra

† Ego iaconus Donatus Petri Cepulle testor qui supra

† Signum crucis proprie manus Iacobi Magnaresii qui supra testis scribere nescientis

† Signum crucis proprie manus Iohannis de Turcho qui supra testis scribere nescientis